

Z b  
7714

On

F.R.85.

Zb  
7714

RECTOR  
VNIVERSITATIS ALTDORFFINÆ,  
DAN. GVIL. MOLLERV<sup>S</sup>  
Historiar. atq; Metaphys. Prof. Publ.

*Quamvis*

ad immaturas & acerbas Exseqvias celebrandas  
**PER-ILLVSTRIS ET GENEROSISSIMI DOMINI,**

DOMINI  
CHRISTOPHORI  
JVLII,

LIBERI BARONIS AB HOYM,  
DYNASTÆ IN DROYSSIG &c.

Hostis otii, Amici modestiæ, Socii sapientiæ,  
veri & magni Academiæ nostræ

ORNAMENTI,

*Omnes singulos, qui Studiorum gratiâ apud nos versantur,*  
partim ob cultum Illustribus Familiis debitum,

partim ob quotidiani commercii & literatæ familiaritatis  
consuetudinem,

sponte sua confluxuros existimet,

*præsenti tamen hoc*

PROGRAMMATE

INDICTIVAS EASDEM ESSE VOLVIT.

*ALTDORFFI,*


Literis HENRICI MEYERI, Acad. Typogr.

*30.*

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



*am Jno. Schubert & Cö.*



Pud Romanos olim inter varia exequiarum agmina, *Funera* qvoq; numerabantur ACERBA, hoc est cruda, & ante diem in Libitinæ censem relata, qvibus efferri solebant Viri Juvenes præmaturo perfuncti fato; hinc & Seneca ista vocat *Immaturas Exequias*, ac Juvenalis Sat. 2. conjungit *præmaturos cineres* & funus acerbum. Ducebantur autem Acerba ejusmodi funera ad cereos & faces; qvod Antiquitatis ille promus condus Lipsius ad Tacitum confirmat ex Seneca, qvi Epist. 123. Isti, inquit, (qvi officia lucis noctisq; pervertunt) *michi defunctorum loco sunt*; *quantulum enim à funere absunt*, & quidem acerbo, qvi ad faces & cereos vivunt? Et de Tranqvillit. Vitæ c. 11. *Toties in vicinia mea conclamatum est*, toties *præter limen immaturas exequias fax cereusq; præcessit*. Celebrabantur porrò id genus funera noctu, qvod dispergit. Servius ad Lib. XI. Æn: *Erat moris Romani, ut impubes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur, qvod præcipue accidebat in eorum, qui in Magistratu erant, filii.* Ideo Virgilinus Pallantis corpus facit excipi facibus, quia acerbum funus. O utinam Acerbum ejus generis funus vespero hodierno ducere heic Altdorfii ne teneremur, funus intelligo Illustris ac Generosissimi DN. CHRISTOPHORI JVLII, L.B. ab HOYM &c.

quem non virtutis egentem  
abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Hujus Academiæ nostræ Floris decorisq; tumulo etsi hōc anni tempore vetamur, ex Romanorum Græcorumq; lege, flores inspergere ac lilia, non tamen prohibemur candidissimum vitæ innocenter ac laudabiliter gestæ florem brevi hac in tabella depingere atq; exhibere. Postulat hoc, qvalecunq; est, officium non solum cultus tam Illustri Familiæ debitus, sed & Generosissimi Juvenis memoria, qvæ nobis semper erit *imis infixa medullis*, omnibusq; Arabum ac florum odoribus longè fragrantior. Nascenti igitur nostro CHRISTOPHORO JVLIO Anno seculi hujus primo & sexagesimo, d. 4. Aug. solum

solum præbuit antiqua Familiæ paternæ arx, Droyssig dicta, in qua  
is triduo post Baptismi sacris iniciatus est Viri Reverendi Clarissimi-  
que Dn. Gothofredi Lobeckii, Pastoris ibidem, ministerio. Dominus PARENTS est Perillustris & Generosissimus DN. LVDOVI-  
CVS GEBHARDVS L. B. ab HOYM, Dynastes in Droyssig,  
Qvesniz, Groshelmsdorff, in arce Wegeleben, Steckelberg, Ruh-  
land, Gutebern & Burgscheidungen &c. Serenissimi ac Potentissimi ELECTORIS SAXONIÆ Camerarius, Consiliarius, Supre-  
mus Rei Tributariæ in Thuringia Præfectus, & Principatū Halber-  
stadiensis Camerarius hereditarius; Domina MATER, Genero-  
sissima Domina CATHARINA SOPHIA de Schönenfeld, ex Fa-  
milia Döben &c. PARENTIBVS hisce è longissima Splendidissi-  
morum Avorum Majorumqve (qvorum commemorationem alii  
tempori locoq; reservatam volumus) progenie editus est *Christo-*  
*phorus noster Julius*, qvem accrescente ætate non latebat, qvibus  
imaginibus oneretur, qvot & qvanta nomina sustineat. Ac præ-  
ceteris qvidem, non in atrio aut arca, sed in pectore gestabat Pro-  
avum paternum, Virum Generosum atqve Inclytum Dn. *Christo-*  
*phorum ab Hoym*, Dynasten in Droyssig, Ermleben, Wegeleben,  
Conradsburg, Steckelberg, Hoym & Radegast, Possessorem Præfectu-  
rarum Leinungen & Mehrungen, in Aula Serenissimi PRINCIPIS  
ANHALTINI Summum Præsidem, Consiliariumq; Cameralem  
& Episcopatū Halberstadiensis Camerarium hereditarium, qvi ra-  
dices agente & vel maximè circa annum seculi superioris octavum  
& nonagesimum invalescente ibidem Calvinismo, strenuum constan-  
temq; se præbuit Lutheri defensorem, scriptis ejusdem luce clariùs me-  
ridianâ id demonstrantibus; nec non Atavum paternum *Sigfridum*  
*ab Hoym*, Heroa in tantum laudandum, in quantum Virtus illa  
intelligi potest, eumqve fratrem GEBHARDI ab  
Hoym, qvem Virtus & Fortuna An. 1458. (perinde ut antè An. 1418.  
JOHANNEM ab Hoym) ad excelsum S. R. Imperii Principum &  
Episcopatus Halberstadiensis extulere fastigium; cui laudatissimo  
Episcopatu Princeps optimus optimè præfuit annos unum & vigin-  
ti, donec tandem plenus annis plenus honoribus, gravibusq; & ar-  
duis laboribus fessus, Episcopatu isto An. 1479. se ultrò abdicavit, ac  
vitæ qvod erat reliquum in pietatis consumsit exercitiis, Ducem Sa-  
xoniæ ERNESTVM, Archiepiscopum Magdeburgensem, beatissi-  
mæ memoriæ, nactus successorem. Horum pluriumq; Splendidissi-  
morum Majorum degenerem nepotem ne se præberet, spes magna

]: 2.

Fami-

Familia, *Christophorus noster Julius*, in prima statim ætate *Parentes* Prudentissimi rectores eidem apponebant Viros tam vita laudabili qvam eruditione Conspicuos, primò Dn. Bernhardum Zech, J. V. Cand. & nunc Secretarium Saxonicum, dein Dn. Joh. Georg. Hofmann, Philos. Magistrum, qvorum monitis ac institutione in pietate præsertim, bonis moribus ac studiis illustri persona dignis, domi indies proficeret; consilio sanè laude omni tantisq; Parentibus dignissimō, utpote qvi bovinum istud Licinii, *Pestes Reip. esse literas*, adeò non probârunt, ut secuti sint potius judicium Philonis Juðorum Sapientissimi: *Vt in ædibus vestibula sunt ante fores, in oppidis suburbia, per quæ in ipsa itur; sic Virtuti præjacent liberales artes.* Hæc enim via est, quæ fert ad illam. Postqvam igitur præclarí ingenii dotes, per jucunda pueritiae rudimenta, in adolescentioris ætatis cultum feliciter emergerent, morumq; probatorum & studiorum elegantiorum egregiis speciminibus magis ac magis efflorescerent, *Noster ex mandato Laudatissimi Dn. Parentis An. 1678.* Misnicum salutavit Parnassum, celeberrimam intelligo, quæ Lipsiæ floret, Vniversitatem, in qua per trimestria quinq; comite ac Ephoro usus est modò memorato Dn. M. Hofmanno; præter cujus dexteritatem, ultra innatum Generoso Juveni bonarum artium amorem, ingens currenti calcar addiderunt Viri Excellentissimi Celeberrimiq; Dn. D. *Mylius*, Dnn. Licc. *Fellerus & Menkius*, ac B. *Franckensteinius*, qvorum auscultandis Collegiis impigrè dabat operam, depascens aurea tantorum Virorum dicta, quæ velut sedula apis in alvearia sua tum in præsentem tum futurum digereret usum. Et cùm non uno in loco strangulatum sit qvod solidam appellamus doctrinam, sed, secundum Cassiodorum, *Prudentes semper habentur, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditæ*; idcirco benevolentissimo Dn. Parentis consensu Anno 1679. fausto pede ad nostram se contulit Altdorffinam, hucq; pervenit d. 18. August. in Lares pariter & convictum à Nobilissimo, Consultissimo atque Excellentissimo Dn. Joh. *Christophoro Wagenseilio*, V. J. D. & Juris Publ. ac Lingg. Orient. P. P. Celeberrimo, Domino Affine & Collega meo Honoratissimo, exceptus quæ humanissimè. Effulsit verò tum statim à primo Academiæ nostræ ingressu, qvid posset apertis permitta spatiis industria, flagrantissimusq; discendi ardor, præsertim ubi & exempla Generosorum plurium ac Nobilissimorum Juvenum literis præclarioribus se involventium, & faciles Musarum aditus, omniaq; discentibus prona & gloria apud nos offen-

offenderat. Ac primò qvidem nōrat, Philosophiam illam, qvam Practicam nuncupamus, cùm hominibus aliis tum nobilibus præcipue ac illustribus esse scitu per qvam utilem ac necessariam, hanc esse virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, inventricem legum, magistram morum & disciplinæ; sine hac non domum ullam aut municipium, civitatem aut Rempublicam, populum aut regionem, mundum ipsum aut rerum naturam, stare posse, proinde ab Ampliss. & Excellentissimo Dn. Prof. *Omeisio*, Collega & Fautore meo plurimū colendo, tertio statim post adventum die, Collegium Disputatorium Ethico-Politicum privatos intra parietes apriendum petiit atqve obtinuit, in qvo, laudato Collega teste, cum Nobilissimis ac Præstantissimis Commilitonibus, paucioribus illis qvidem (plures enim ne in numerum auditorum reciperentur ipse rogavit, ut eò freqventiū munus vel opponentis vel respondentis obire posset) deluctatus est strenuè, nec unquam defuit, qvin vel præsentiam congressui vel operam exercitationi commodaret. Noverat porrò Contemplatricis Philosophiæ, atq; in primis Metaphysicæ, opus esse de divinis humanisq; verum invenire, res naturâ præstantissimas & earum caussas indagare, illamq; in subtilioribus ac profundioribus Disputationibus usum afferre longè maximum, (& paratus jam ipse erat brevi Disputationem habere publicam) propterea etiam *meis* in ædibus Metaphysicam audivit solus, singulari mercede attentione, indefesso sciscitandi studio, rarissimoq; exemplo, qvod nonnullis scientiæ hujus contemtoribus jure merito offundere possit ruborem. Qvin & in Jutorum castra transiit, ac privatum etiam Collegium Nobiliss. Consultiss. atq; Excellentissimi Dn. D. *Geigeri*, Institt. Imper. P. P. Celeberrimi & Facult. suæ Decani hodie Speciatisimi, Collegæ ac Fautoris mei æstumatisimi, freqventavit diligentissimè, cuius Viri cognita ac perspecta fide & dexteritate eò usq; profecerat, ut jam non contemnenda egisse fundamenta videretur in studio Juris Civilis, cui Publici qvoq; notitiam adjunxit prævio Excellentissimo *Wagenseilio*, qui ipsum amabat medullitus, & qvotidianis in congressibus ac colloquiis non modò Hospitis & Doctoris prudentiam ac fidem, sed singularem & supra hæc nomina affectum σωσίνω ναὶ σωσίτω suo mellitissimo præstitit, prorsus qvalem Parentes optare fas est, qui dulcisimis suis pignoribus, opera aliena, optimè consultum esse cupiunt. Ceterum & Italicae Lingvæ studuit exquisitiū, Ductore Plur. Rev. & Excellentissimo Dni. Prof. *Fabricio*, Affine & Collega meo honorando; atqve, ut amant alterna Camœ-

næ, magna etiam cum animi voluptate & cura corpus exercuit, Pompejum illum imitatus, qvi in castris saltu cum alacribus, cursu cum velocibus, vecte cum robustis ac validissimis certabat. Ergo in palæstra nunc punctim dimicare nunc cæsim, vibrare hastam, vexillum, deartuare dapes, aliaq; addiscere & ponere tirocinia, qvæ nobili ac illustri personæ & usui esse queant & ornamento. His proinde tam animi qvàm corporis exercitationibus probè exultus, vita insuper & moribus fuit rectis jucundisqve.

*Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes  
emollit mores, nec sinit esse feros.*

Templū igitur freqvens, ac justo etiam tempore, Sacram Synaxin adiit, Deo ejusq; Ministris debitam reverentiam exhibuit, DNN. Professores ad unum omnes singulari affectu & cultu, Commilitones amore non fucato prosecutus. Ebrietatis ac temulentiae hostis, Musas virginēs castè tractabat & sobriè, non ignarus, illos qvi secus faciunt, eas ipsas severissimas habere vindices. Accedebat huc incredibilis erga omnes humanitas, qvam eximia corporis venustas, aliæq; speciosæ Naturæ dotes Veneresq; reddebat amabiliorē. Vidisses egregiam in vultu formam, in forma comitatem, in verbis mella, in aspectu Gratiās, svavem in gestu tenorem, eam deniq; in conversatione civilitatem ac modestiam, ut ipse generis sui virtutumq; splendorem solus nescire visus fuerit. Dum in his versabatur, dum non nisi maxima qvæq; & se digna cogitabat, dum, ut ætas illa solet, plena roboris ac spei, si præsertim istud à Majoribus calcar accedit, sua condēbat fata, fatisq; & votis suffragabatur Academia, favebant amici, gratulabantur omnes, ecce (ô iniqvitatē rerum humanarum, ô fallaces spes & cogitationes nostras!) exorta velut ex insidiis valedictio omne industriæ ac spei argumentum Magnis Parentibus Filioq; præcidit. Nuper qvippe d. 9. Febr. factus est Clinicus, ac die secuta i o. ejusd. post septimam vespertinam Medico Nobilissimo, Excellētissimo, Experientissimoq; Dn. D. Hoffmanno, Seniore, Collega & Fautore meo venerando, ad se vocato, in primis de faucium ventriculiq; dolore hōcq; gravativō, & cardialgia insigni cum debilitate cunjuncta, conqvestus est, nonnulla etiam macularum ostentans indicia. Nec cessavit diligens Æsculapii cura idoneis medicaminibus malo huic occurrere, atq; ab illo non solum pulvis cordialis diaphoreticus illicè præscribebatur, in remedium cardiacum, utq; destillatio catarrhosia ad fauces irruens distraheretur, & aliæ, qvæ prorumpere videbantur, malignitates repellerentur; sed & die Mercurii mane

mane plura id genus exquisita ac saluberrima cùm parabantur tum recipiebantur medicamenta. Nec verò ille, cui salis religione fœderatus erat, sæpe laudatus Dn. *Hospes*, ejusq; Conjur Nobilissima, spectatae apud nos pietatis animiq; mitis ac misericordis Matrona, seu reficiendæ gulæ, seu rerum aliarum ad valetudinem vitream utcunq; refingendam necessariarum parandæ copiæ, ad extremum usq; vita halitum, conatu ullo deerant; nec intermittebant Perillustris ac Generosissimus Dn. *Joh. Vladislau*s, *L. B. de Reisvvitz* &c. hujusdemq; Dn. Ephorus, ac plures Generosi Nobilissimiq; Dnn. Convictores, Cives, Amici, diurnis nocturnisque accessibus & alloquiis langvore marcidum erigere, digni omnes, pro tanto amore ac pietate, Sibyllino ævo ac perpetua corporis animique serenitate. Inter hæc tamen, qvod Cato ille Tullianus in Libro aureo de Senectute senex protulit, *Ætas juvenum multò plures, quam nostra, mortis casus habet: facilius in morbos incident, gravius agrotant, tristius curantur*, idem Generosissimus Noster eheu! suo etiam comprobavit exemplo. Nempe enim cùm is dicto antè Mercurii die ad vomitum sponte insurrexisset, subsecutâ mox paucâ narium hæmorrhagiâ atque diarrhoeâ, morbilli qvidem magis efflorescebant, minus tamen rubicundi, & per emunctorium universale nempe cutem atque cuticulam dispersi, sed colore ferme cineritio prædicti sibiique mutuò quasi cohærentes apparebant, somno omniderpente penitus excusso. Hinc malignitatem, sangvinis *veneratio* molientem, in principio jam tum nimis potentem, vires plus ultra eundo etiam acquisivisse majores, symptomata alia graviora accendentia declarabant; anxietas siqvidem pectoris, inquieta corporis jaætatio, insomnia turbulenta, stridor dentium & delirium, morbum subinde magis exacerbabant, donec die Solis, Dominica Sexagesima, primâ vesperâ, post prægressam urinæ suppressionem, erumpentes motus convulsivi tristem dedere catastrophen, tandemq; Generosissimus noster lacrymas inter ac preces adstantium, præeunte Plur. Rev. atque Excellentissimo Dn. *Reinharto*, S. Theol. Prof. apud nos Publ. Ecclesiæq; Ministro Religiosissimo, Collega & Fautore meo ætatèm veneratione prosequendo, piè defunctus & ad Cœlestem Academiam evocatus est, cùm vixisset hisce in terris annos octodecim, menses sex, dies undecim. Jacet proinde Flos juvenum, flos Lycei nostri, quem ante diem rapuit Atropos,

*qualem virgineo demessum pollice florem  
seu mollis violæ seu langventis hyacinthi.*

Mœrent

26 7714 EK

Mōerent, qvi plantārunt, anguntur custodes, hortus ornamento se  
orbari tantūm non lamentatur. Hei mihi! *Omnis caro fænum est,*  
*& omnis gloria ejus quasi flos agri.* *Exsiccatum est fænum, ceci-*  
*dit flos, qvia Spiritus Domini sufflavit in eo.* *Vanitas vanitatum*  
*& omnia vanitas!* Vos autem, CIVES ACADEMICI, & qvot-  
qvot insuper amabatis ac mirabamini pulcherrimas Perbeati Dn. Ba-  
ronis virtutes, & gloriosæ adhuc favetis memoriæ, vos omnes & sin-  
gulos peramanter etiam atq; etiam invitatos velim ad exeqvias eun-  
das hodie vesperi ex Collegio ad Templum, qvod ossa ejus custodiet  
ad altare, prope cineres pretiosos *Henrici Burggravii à Dhona,*  
*Joh. Dieterici L. B. à Taub, Hugonis Donelli, Scipionis Gentilis,*  
illustrium magnorumq; virorum. Omne solum sapienti unum est  
idemq;: ubicunq; pulcher animus erumpit, cœlum suum petit, im-  
mensum illud beatarum mentium domicilium, in qvo nunc *Gene-*  
*resissimi nostri pietas triumphat, eruditio perficitur, modestia ex-*  
*collitur, fulget nobilitas, spes expletur, justitia coronatur;* in qvo  
*Idem nunc verè incipit vivere, postqvam desiit mori.* Venite igi-  
tur, ac magno Amico, qvod nollet, id volentes præstate, hac cum-  
primis die, prænomini ejus *Christophoro* in fastis sacra. Non expectat  
à Vobis munera ligatoria, qvem laqvei mortis jam circumdederunt,  
imò verò qvi eosdem disrumpens ad veram emersit libertatem, &  
cuncta nunc ridet mortis retia, vincula, ligamina; Vestram tantūm  
præsentiam expetit & breve votum: *Molliter ossa cubent!* Qvod er-  
go feceritis ipſi, & vobis alii facient. Valete, ô Mei, ac moniti vivi-  
te memores, qvod inculcat Romanus Sapiens: *Qvotidie morimur;*  
*qvotidie enim demitur aliqua pars vitæ;* & tunc qvoque cùm cre-  
scimus, vita decrescit. *Hunc ipsum, qvem agimus diem, cum*  
*morte dividimus.* *Quemadmodum clepsydra non extreum stil-*  
*licidium exhaustit, sed quicquid antè defluxit;* sic ultima hora,  
*qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat.*  
P. P. AltdorffI Noricorum d. 15. Mart. A. O. R. cl Ic LXXX.



AN

ULB Halle  
002 681 544





F.R.85.

Zb  
7714

RECTOR  
VNIVERSITATIS ALTDORFFINÆ  
DAN. GVIL. M.  
Historiar. atq; Metaphysicæ  
*Quamvis ad immaturas & acerbas Exercitaciones*  
PER-ILLVSTRIS ET GENE  
DOMINI  
CHRISTO  
JVL  
LIBERI BARONIS  
DYNASTÆ IN DR  
Hostis otii, Amici modestia  
veri & magni Academ  
ORNAMENT  
*Omnes Singulos, qui Studiorum genitrix  
partim ob cultum Illustribus F*acultatibus*,  
partim ob quotidiani commercii &  
consuetudinem,  
sponte sua confluxuro  
præsentitamen h*  
PROGRAMM  
INDICTIVAS EASDEM E

ALTDORFF  
Literis HENRICI MEYERI, Acad. Typogr.



am Jno. L. 1808